¶ Joachim Doringi in Di
uinam hostiam Christi Jesu
a iudeis Patauiensibus sub
ductam. Carmen Inchoat

Hostia terdeno p̄clara nūmismate christi
Vendita / Judeis insidiosa malis.
Diceris. hoc nostro praeclari victima libi
Carmine / phoeboeos da mihi chara modos.
Dicam Cristophori quo te manus improba nisu
Pertulerit / genti vendideritq; male!
Quis te cum manibus gens Sabbataria tetris
Audeat O numen dedecorare pium.
Enumerabo simul poenas quas improba soluit
Turba / et perdignas quas subiere cruces:
¶ O praeclara dei tuq; omnipotentis imago /
Quod coelo summum laberis vsq; bonum.
Chara dei effigies / et inenarrabile sacrum /
Hostia pacifici Dulcis amoris ades:
Dicere res grandes elego cum pectine ferte
Pierides / Mixtus cum pietate dolor est.
Flebilis ad nostras faciet sambuca Camenas /

Historiam fletus concomitere meam:

¶ Haec ego quom calamo cepissē ludere rauco/
Incipit a clara luce micare domus.
Respicio ac si forte deum vidisse putassem/
Constitit ante oculos virgo pudica meos.
Aurea vestis erat/duodeno stemma lapillo/
Ornabat sanctam palla pudica deam.
Extimui numen/pauidoqꝫ stetere capilli/
Visu inconcessum preqꝫ stetisse meo.
Et dubito patris si sit de vertice nata?
Arma nec in dextra palladis hasta fuit.
Non fuit hec soror ipsa iouis? non alma diana?
Nam lateri casto nulla pharetra fuit.
Portabat natum non magno pōdere pulchrum/
Sed non expertem numinis atqꝫ dei.
Accedo propius diuinos visere uultus/
Illius. ex clara fulgura fronte micant.

Obstupui / subitus pauor ora trementia torpet /

Occido non mentis / nec racione potens.

Illa fugat radios claro fulgoris ab ore /

Vanescit nostro curaqꝫ corde metus.

Assurgo stupidus / resipisto mentis ab ictu /

Cognoui sanctum numen adesse meum.

Cognoui dominam pulchra cum prole beatam /

Per negat haec nunqm̄ verba rogantis opem.

Vultum mirabar quem tristem virgo gerebat /

Signa pudiciciae / sum ratus esse miser:

Non est haec facies miserum quae laeta precatus

Suscipit / ad natum fertqꝫ refertqꝫ suum.

Vidisses moestam quae se solatur amantes /

Flesset / non lachrymis ora beata madent.

Percutit omne meum pectus timor alter ab illo.

Quaero pauens causam / causa sit vlla vaie:

¶ Virgo per angelicas multū laudata catervas /

Quae superum turmis gloria magna manes.
Inclita quae radys illustras ethaera claris/
Salue de verbis virgo Maria meis:
Quid iuuat humanas diuam te visere terras?
Hac tibi mortalis sede moratur homo.
Sedibus hinc nostris diui fugere relictis
Cum nato humanas cur petis ipsa vias?
¶ Illa per exiguas vultum demissa querelas
Effatur / caecum caetera murmur erant:
¶ De nihilo gentes iterum defertur ad atras
Natus / et indomitis venditur ipse viris.
Ecce alius Bauara venit Schariothis ab ora/
Inquinat in nati ianqȝ cruore manus.
Vberibus nostris alta haec sanctissima proles
Venditur indomitis / traditur atqȝ viris.
Effer / et in populum diuulga pectine / ceptum
Hoc ioachine tuum perfice dixit opus:

Vix ea fata fuit / virgo vanescit in auras /

Me vatem dubium deserit ipsa suum.

Haec ego iussa cano / Mandatūqꝫ exequor almae

Matris / et in pelagus vela remitto mea:

¶ Vrbs antiqua iacet medijs confluctibus Jstri

Atqꝫ Aeni / nomen cui rapit ille suum.

Hanc Antenorides (patria discedere iussi)

Construxere viri (si modo phama proba est)

Phamam certa fides sequitur nam ibi labit̃ vnda /

Ludens ad patrias Jlia nigra domos.

Moenia iusserunt patauina vocarier alta:

Vrbem conspicias / et monumenta virum

¶ Huic ille Antistes longo de sanguine claras

Cui patrias artes virgo fugata dedit

Vdalricus erat / nec eo pietate vel alma

Justicia melior vllus in orbe fuit.

Plectio o digne tuos quo dicam praesul honores?

Non facit ad laudes Barbytos illa tuas.
Castigas meritos male de dominoq3 deoq3/
Murmure pro tanto sit tibi terra leuis.
Judeum perdis/turpe est ignoscere genti/
Imminet illa deo/christicolisq3 dei.
Hinc vbi depauit nostro se sanguine/maius
Audet/et in dominum vertere dira manus:
Heus princeps mundum gemina qui lance mistras
Quid tibi cum verpis gentibus esse potest?
Perde scelus tetrum/sinuosis anguis ab vlnis/
A nostris mures aedibus este procul:
¶ Vrbis in accliuis habitabant improba ripis
Agmina iudeum/turba inimica dei!
Corrupere virum non relligione probatum!
Cui genus a Bauaro rure fuisse ferunt.
Cristophoro nomen paruo iussere parentes/
Misterium infelix hoc quoq3 nomen habet

Munera polliciti/quem non argentea vin
Corrumpunt homines dona/ venusqꝫ deos.
Conueniunt pacto sacrum perferrier almum:
Sed pacto iudae non fuit hoc probius.
¶ Itur ad inuersos istri de fonte Boaemos
A patauis/ Sexti per spacium lapidis.
Illic Reginae templum est insigne Mariae/
Nocte intempesta hoc traditor ille petit.
Excipit insidijs corpus venerabile christi/
Partibus octenis/ maxima praeda nimis.
Et fuit hic christi sacra bene tinctus in vnda/
Non tamen erubuit peruiolare deum.
Exuuias spoliator habes de vindice praeda/
De spolio victor munera pende deis.
Aethera qui clarū/qui terras/aequora/phoebū/
Lucentem phoebes condidit atqꝫ globum/
Qui te collapsum misera de matre redemit/

Chriſtifer hunc prauis vendere fers populis?
Ecce canis patulis inſtar cum rictibus ardens
Corripuit quidam / nec tetigiſſe pudet.
Supponit tandem mundam de ſyndone taelam
Judeus / dignum nouit honore ſacrum.
Depoſcit precium mercator ſanguinis ater
Inſontis / precium perferat ipſe ſuum.
Proh ſcelus infandum terdeno venditur aſſe /
En iterum ſummum / cunctipotenſqꝫ bonum
Aureus (indignum) eſt nũmus porrectus ab illo
Hanc mercem precio non emis hercle ſuo:
Retulit ad patres / quae ſit ſentencia poſcens
A quocunqꝫ rogat / vota legitqꝫ patrum:
¶ Pars in ſecretos curant coelare penates
Chriſticolas furtum delituiſſe volunt.
Pars (ipſis quorum melior ſentencia viſa eſt)
Furta inter fratres participanda ſuos.

Atq; in diuersi regiones ferrier orbis .

Consilium laudant / cum pedibusq; probant

¶ Mittuntur binae firmā ad Carthaginis vrbē

Perticulae . binas praga rebellis habet .

Corpore de domini tenet alta iuuania binas /

Gens vbi Judeum carpit iniqua diem .

Relliquias Emad vix execrabilis ara

Excipit / et ni habeat / forte iacetur humi

¶ Interea inmanis quidam de gente neglecta

Mucrone exerto perfigit ipse sacrum .

Sanguineas (En vera cano) de corpore guttas

Vidisses / guttas deq; fluisse deo .

O scelus / o grauius delicto conscia tanti

Peccati qđ sis conscia turba ducum .

Perdite neglectas iusta est sentencia gentes /

Perdite iudeos vlcio nostra proba est .

Obstupuit pauidus tanto de crimine tortor /

Cognouit Iesum numen habere sacrum!

Carnificis videas munus fecisse cruentum/

Vt batti saxum constitit ipse pauens.

Extimuere omnes/noua nam miracula verpi

Conspiciunt/leso numine/certa vident.

De sancto varij succrescunt iridis orbis!

Pulchrior in medio mitis imago puer.

Ne dicas tantum te Sabbatarie panem

Transfixisse tua valde nefande manu:

Cedit de ferro diuinum hoc numen acuto

Ordea nec vino sicca cruore madent.

Testantur parij sed adhuc vestigia saxi/

Durior ipse lapis nouit adesse deum.

Condoluit domino/Res est durissima saxum

Attamen hoc tere mollius hercle fuit.

Summe Jesu/magni verā et sapiēcia patris

Altra pro nobis poena ferenda fuit

Nonne semel passus / preciosi saguine fontis

Abluis humanum morte carere genus?

¶ Interea timidi currunt ex ampliter aede!

Efficiunt pauidos crimina nota reos.

Secunda distinctio de sacrosancti sacramenti extinctione

Altera lux aderat nec adhuc saciata quieuit /

Hostia quid possit / turba pericla facit.

Conueniunt cūcti: Tum sacra surgit in aede

Unus / et ad socios talia verba facit!

¶ Nescitis longo iude de saguine nati

In nos perpetuam cristicolum inuidiam?

Cur simus Bauara pulsi nescitis ab ora?

Atq; tridentine vos latuere cruces?

Tentamus nostram quid tandez in pane salutem?

Non hinc victrici praeda ferenda manu est.

Nos vero miseri longis extamus ab annis

Serui / et cristicolis infima praeda sum⁹.

Causa leuis socij dabitur / nos nostraq₃ carpent /

Tunc vtinam exilium perpetiamur / ait.

Condite luctificum nobis succondite panez

Istum / perpetuo neue sit excidio

Si vos non moneat vox illa fidelis amici.

Pergite / sed tandem hec exitus acta probat!

¶ Haec vbi dicta tenent / furiunt ceu sedicione

Exorta / populus barbarus acre furit.

At tandem vafrae capta est sentencia partis!

Hostia perdatur sic statuere viri.

¶ Queris item furti causam? miracula visant /

Iustior an sua sit / christiculnmue fideo

¶ Secessu in coeco fornax antiqua manebat

Excipiat panem haec / sic statuere viri.

Incensa mandant sanctuz fornace camino /

Vulcanum in rapidum deijciuntq; deum

Aethera qui claruz / qui terras / aeq̄ra / phoebū /

Lucentem phoebes cōdidit atq; globum:

¶ Nūc subeāt Musae subeat q; phoeb⁹ Apollo!

Et subeat nostris crassa Minerua choris!

Libaq; sacratus pro me ferat alma sacerdos /

Ut referam dignis visa stupenda modis.

¶ Vix incandentes diuinum venerat ignis

Corpus / et iuuentos vertitur aura truces.

Terribili spirant sonitu cum murmure montis /

Complentur diris tum loca tota notis.

Vidisti caelo nimbos recutice sereno /

Altera cinxerunt nubila nigra polos.

Altera crux erat hec domini regisq; potentis /

Alternis miris ipsa videnda fuit.

¶ Extimuere omnes / noua nam miracula verpi

Conspiciūt / laeso numine certa vident.

Praepetibꝰ pennis geminae ex fornace colūbae

Concessum volucres aera praesto volant.

Atqꝫ super medio visi consistere furno /

Angelici testes concinuere duo:

Insurgit seuus celsis ex montibus auster

Atqꝫ iterum tetras verrit adusqꝫ / domos.

Consternit subito furibundos acolicus grex /

Corda pauor penetrat / semianimesqꝫ cadunt:

Dic Erato senas que tellus / equora vel. que /

Corpore de domini particulas habeant?

Siue rapax haeros calido vulcanius igne

Abstulerit sacrum / quo vel in orbe latet?

Pegasis ante meos apparet amabilis orsus!

Talia quaerēti verba rogata facit.

¶ Qui tua solicitant iuuenilia plectra timores /

Debebant reges sollicitare tuos.

Hoc facerent / probitas si sit pudor inclitus illis /
Relligio / vel quae est optima cana fides.
Horrida terribili tremitat germania bello /
Causa latet: vestri sunt bona turba duces.
Alter in alterius descendit adulter amores /
Munera peccato nobiliora placent.
Vertitur in miseros haec illa libido ducum / Sed
Non aequam dives ferto miserque crucem.
¶ Hec vbi dicta dedit. subitis illa evolat alis /
Nec bene respondent verba rogata datis.
Ergo ego mortalis nulli manifesto negata /
Ipsi de verpis quaerite furta malis
Carpite mortales dominum de carcere caeco /
Ingrati ne vos arguat ipse malo
Cur patimur duros tanto de tempore casus?
Deque malis nullus finis adusque venit.
Austria terribili tremit horrida terra tumultu /

Alpibus in niueis pax quoqꝫ nulla viget.

Inuersos querimur chara de sorte Boaemos.

Sit querimur nobis pax inimica diu.

Praelia sit Mauoris miserum partitus in orbem/

Et belli tantum maxima porta patet.

Nūc querimur Turchas nostros duxisse parentes

Captos/et misere tristia ferre iuga

Causa latet! domino nulla est reuerēcia summo/

Quippe creatorem negligimusqꝫ deum.

¶ At mihi ne Scythicus visetur crimine pontus

Alterius/tutum sit tacuisse mihi.

Tercia dis. de Christophori et Judeorum extinctione

Tempus erat gelidas quo nix in soluitur vndas/

Arboribus virides quo rediere come/

Quo magnae violis florescunt arua parentis/

Vere nouo Mensis primus in orbe satus.

Traditor ille dei generosae nescius umbrae

Nescius inmensi numinis atq; dei.

En iterum sanctam spoliatum venerat aedem

Christifer / unde meum traxerat ante sacrum

Aggreditur clausum prima sub nocte sacellum /

Et sanctam oppugnat / vi reseratq; domum:

¶ Forte sub offensas anus huc annosa vacillat /

Siue roget dominum / seu pia fundet aquaz /

Vt mos est vetulis benedictum spargere flumen!

Audit / et inmanem detegit ipsa virum.

Rauca voce virum furti tum prodit anili /

Clamat io. nocuum pellite sacrilegum.

Pellite mortales diuinas qui violat res /

Subueniant aedi nunc pia taela sacrae.

¶ Concurrũt subito cuncti de fonte pagani

De villa cuncti conueniuntq; viri

Concurrunt velut omne pecus / grinnire suem si
Audiat / et fevit porca iuuare suem.

Eripiunt furem sacraqꝫ ex aede nefandum!
Laedenti tutus non locus ille fuit.

Mandatur celsae patauine furcifer arci /
Quae seruat captum compede firma virum

¶ Siue ita fatales diuae iussere sorores
Vendita Judeis furta fatetur homo.

Siue dei fueras haec magni summa voluntas /
Vendita Judeis furta fatetur homo.

¶ Hoc grauiter praesul tulit Vdalricus / iniquū
Duci captiuum vulgus et omne iubet:

¶ Tempus erat noctis primae quo cūcta quiescūt
Quae mare / quae terras aethera quaeqꝫ colūt

Miles in aduersam noster ruit impete gentem /
Expugnat putridas dura per arma domos.

Eripiuntur ego (iustū est) iuueneſqꝫ seneſqꝫ

Cū male quaesito pauperis aere suo.
Auctores sceleris/tetrum sub nocte senatum
Turris bisquinos excipit alta viros.
Cōspirant subito/neu tortus pandere panem
Detegeret ne aliquis/se eligat ante mori.
Quaestio de sacro p verpos ducitur empto!
Nesciat ac factum perdita turba negat.
Quod nec chorda quidem nec centum pōdera saxi
Efficiunt/nec quod fictilis olla potest/
Hoc cutis incocte secretum calceus urget
Vnus/et inmanes detegit ipse reas
Calceus infandos cogit secreta fateri
Et male cōmissum pandere crimen idem.
Publica concordiqꝫ fatentur crimina voce/
Quae mea carminibus nuisa loquuta fuit.
Hinc mea principium sumpsissent carmina rectū
Sed res principio non fuit apta meo

Quatuor ex denis sacra tinguntur in vnda/

Quae bene dignata est credere turba iesuz.

Truncantur gladio seni tortoris acuto:

Ad superos rediijt spiritꝰ vnde venit:

Plectuntur gladio iuuat indulgencia iuris

Differat vt penis ille vel ille suis.

Et subito adducto tranarunt flumina nauta

Lurida / non tardat noxia lota viros.

Quatuor eliseos dignati visere campos.

Caeruleas migrāt caetera turba domos.

Hos et iudiciuz poena seuerius vrget /

Forcipe fixorem dilaniare iubens.

Et qui deiecit venerandum corpus in ignis /

Forpice cadenti dilacerare iubet.

Et demum cuncti flammae mandātur edaci /

Ignea damnatos sumat vt vna pyra:

Sacrilego nostra de cōsuetudine tetro

Extruitur lignis igneus arte rogus
Agnouit crimen doluit laesisse parētem /
Et male Judeis asse dedisse deum.
Porrigit oblitos ad flammam christifer artus
Carnifici / vt videas poenituisse reum.
Tortori diro (tanta est paciencia) membra
Corpore de proprio dilanianda dedit:
Ast vbi iudeum gens qm̄ foedissima. christuz
Perdidit / huc aedez constituisse iuuat.
Hinc remeāt claudi mirātur lumina caeci /
Atqȝ solent voti ferre petita sui:
Hostia primicias viuax de carmine nostras
Accipe / nec vatem desere chara tuum.
Gloria celesti domino / regiqȝ satoqȝ /
Flamine qui regnat cum deitate pari

· 1 · gr · constat